CAPVT IV.

DE CONFVSIONE VISIONIS NEC NON DE MAGNITVDINE APPARENTE ET CLARITATE.

Definitio I.

159.

Visio est distincta, si omnes radii, qui ex quolibet obiecti puncto in oculum ingrediuntur in fundo oculi super retina iterum in vnum punctum congregantur.

Scholion.

160. Ad visionem distinctam requiritur, vt obiecta in certa quadam ab oculo distantia reperiantur, quae distantia pro varia oculorum indole maxime solet esse diuersa, dum Myopes exiguam, ii qui oculis valent ingentem, ac presbytes non solum infinitam sed quandoque etiam negatiuam exigunt; cuiusmodi distantia cum in veris obiectis locum habere nequeat, ope perspicillorum sibi satisfacere solent. Quilibet ergo oculus ad certam quandam distantiam obiectorum est instructus quam eius distantiam iustam appellabo; vbi quidem insignis latitudo locum habet, pro-

propterea quod ſtructura oculi ita eſt artificioſa, vt contractione ac elongatione quadam ſe ad diſtantias aliquanto maiores et minores accommodare poſſit. Quando ergo obiecta in diſtantia ab oculo iuſta reperiuntur, viſio eſt diſtincta, dum ſingula obiectorum puncta ſuper retina ſingulis punctis exprimuntur.

Definitio 2.

161. Viſio eſt confuſa, ſi radii ex quolibet obiecti puncto in oculum immiſſi non in vno retinae puncto congregantur, ſed per aliquod ſpatium retinam afficiunt.

Corollarium I.

162. Eo maior ergo erit confuſio, quo maius fuerit hoc ſpatium in retina, per quod radii ex eodem obiecti puncto emiſſi diſſipantur. Ex quo huius ſpatii magnitudo veram confuſionis menſuram ſuppeditabit.

Coroll. 2.

163. Viſio ergo erit confuſa, cum obiecti viſi diſtantia multum fuerit diuerſa ab oculi diſtantia iuſta. Paruum enim diſcrimen vel per ſe nullam confuſionem parit vel oculus ſe ad obiecti diſtantiam, ſua qua pollet, volubilitate accommodare valet.

Scholion.

164. Si obiecta per lentes diſtincte repraeſentarentur, viſio imaginum eadem lege teneretur atque ipſo-

ipſorum obiectorum; iuſta ſcilicet earum ab oculo diſtantia viſionem diſtinctam, admodum autem diuerſa confuſam produceret. Verum ſi imago per aliquod ſpatium fuerit diffuſa etiamſi ab oculo ad diſtantiam iuſtam ſit remota, inde tamen in viſione confuſio oriatur neceſſe eſt. Quod ſi nempe non obiecta ipſa, ſed earum imagines per vnam pluresue lentes repraeſentatas intueamur ob duplicem cauſam viſio poterit eſſe confuſa; altera, ſi diſtantia imaginis ab oculo multum fuerit diuerſa a diſtantia iuſta, altera vero ſi ipſa imago per aliquod ſpatium diffundatur. Priorem quidem cauſam tollere in noſtra eſt poteſtate ſiquidem lentes ita diſponere licet, vt imaginem in iuſta ab oculo diſtantia exhibeant; quam lentium diſpoſitionem propterea hic perpetuo aſſumamus. Quamobrem in hoc capite inueſtigare conſtitui quanta confuſio in viſione imaginum a ſpatio diffuſionis oriri debeat, eiusque quantitate determinata deinceps in hoc erit elaborandum quemadmodum lentes formatas ac diſpoſitas eſſe oporteat, vt confuſio inde in viſione nata datum limitem, quo adhuc eſt tolerabilis, non excedat. In genere quidem certum eſt, quo maius fuerit ſpatium diffuſionis, eo maiorem inde in viſionem induci debere confuſionem, verum tamen mox videbimus, confuſionem viſionis non eſſe ſpatio diffuſionis proportionalem, ſed aliam omnino legem ſequi, quam accurate determinaſſe maximi erit momenti, cum ex hoc fonte conſtructio omnium inſtrumentorum Dioptricorum ad viſionem accommodatorum ſit repetenda.

Problema I.

Tab. II. Fig. 10. 165. Si oculus aspiciat imaginem cuiuspiam obiecti ab vna pluribusue lentibus per spatium Ll diffusam, atque imago principalis L in iusta ab oculo distantia reperiatur, definire confusionem, qua visio huius imaginis afficietur.

Solutio.

In spatio diffusionis Ll, in quo punctum L a radiis per lentium medium, punctum l vero a radiis per lentium extremitates transmissis exhibeatur, considerari oportet primo eius magnitudinem Ll deinde radiorum in l concurrentium inclinationem ad axem. Supra autem vidimus has res a primae lentis apertura, cuius semidiameter sit $= x$, ita pendere vt sit ipsum spatium $Ll = \mathrm{V}\, xx$, et angulus $\mathrm{O}l\mathrm{T} = \mathfrak{V}\, x$ pro quouis scilicet lentium numero valores horum coefficientium V et $\mathfrak{V}$ determinauimus. Repraesentet iam circulus O V oculum, quem hic vt exiguam cameram obscuram spectare licet, sed ita perfectam, vt radios ex vno puncto emissos iterum in vno puncto colligat; etsi enim in oculo plures fiunt refractiones, tamen conditione illa seruata vnica lens earum loco considerari potest, quae sit in T O T, a qua retina remota sit interuallo $\mathrm{OV} = u$. Cum nunc imago principalis L in debita ab oculo distantia, quae vocetur $\mathrm{OL} = l$ existat, puncti L imago in oculo in ipsam retinam incidet, et in V distincte

cte depingetur: puncti vero l imago non in V, sed ante retinam in v referetur, quod interuallum Vv, si lentis in TOT conceptae crassities euanescat, secundum §. 62 ita exprimitur, vt sit $Vv = \frac{OV^2}{OL^2} \cdot Ll = \frac{uu}{ll} \cdot \mathfrak{V}xx$. Cum autem radii punctum l formantes ad axem inclinati sint angulo $OlT = \mathfrak{V}x$, ii per lentis oculi puncta TT ita intrabunt, vt neglecto interuallo Ll prae distantia $OL = l$, sit $OT = l\mathfrak{V}x$, ex quo ii in puncto v concurrentes cum axe angulum facient $OvT = \frac{OT}{Ov} = \frac{OT}{OV} = \frac{l}{u}\mathfrak{V}x$. Hinc ergo vltra ad retinam pergentes super ea circulum UU effingent cuius radius erit $VU = \frac{l}{u}\mathfrak{V}x \cdot Vv = \frac{l}{u} \cdot \mathfrak{V}x \cdot \frac{uu}{ll} \cdot \mathfrak{V}xx$ et a punctis inter L et l mediis hoc spatium circulare super retina replebitur. Quare imago per spatium Ll diffusa super retina circello repraesentabitur, cuius radius $VU = \frac{u}{l}\mathfrak{V}\,\mathfrak{V}x^3$ qui circellus veram confusionis mensuram suppeditat. Quodlibet scilicet obiecti punctum, quod lentibus per spatium Ll diffusum exhibetur, in oculo super retina non puncto sed circello exprimetur cuius radius erit $= \frac{u}{l} \cdot \mathfrak{V} \cdot \mathfrak{V}x^3$.

Coroll. I.

166. Videmus ergo confusionem, qua visio afficitur non solum a quantitate spatii diffusionis $Ll = \mathfrak{V}xx$, sed insuper ab angulo, quo radii in l concurrentes ad axem inclinantur, qui est $= \mathfrak{V}x$ pendere; radiumque circelli confusionem metientis producto illius spatii per hunc angulum esse proportionalem.

Coroll. 2.

167. Cum igitur posito semidiametro aperturae primae lentis $= x$, spatium diffusionis sit vt eius quadratum xx; radius circelli confusionem metientis est vt eius cubus x^3. Ac si confusio ipsa areae huius circelli proportionalis aestimetur erit ea vt x^6, seu vt cubus aperturae primae lentis.

Coroll. 3.

168. Hinc ergo intelligitur quanti intersit per idoneam lentium dispositionem spatium diffusionis Vxx diminuisse non solum enim in eadem ratione qua spatium diffusionis Vxx seu quantitas V diminuitur sed adeo in ratione duplicata, ipsa confusio visa minor redditur.

Scholion.

169. Assumsi hic pupillam tam late patere, vt radios ab l diuergentes recipiat; at si apertura pupillae minor esset, radios a puncto l venientes nequidem caperet: hoc ergo casu res eodem rediret ac si contracta primae lentis apertura spatium diffusionis Ll eo vsque diminueretur quoad pupilla omnes radios ab imagine emissos recipere posset hocque casu manifestum est, confusionem minorem esse prodituram. Verum in sequentibus ostendetur, tam in Telescopiis quam Microscopiis hunc casum vix vnquam locum inuenire cum plerumque conus radiosus ex puncto l emissus circa ingressum in oculum multo

to tenuior sit quam pupillae apertura; quamobrem ne opus quidem est hunc casum etsi per se facile expediretur, hic expendere. Ceterum tametsi oculus non commode cum lente simplici cuius crassities euanescat, conferri possit hincque expressio spatii Vv secundum §. 84. aliquantum diuersa prodire potuisset hic ad istam circumstantiam non attendimus propterea quod spatium Vv secundum certam quandam rationem auctum vel diminutum prodiisset; Hic autem non adeo necesse est ipsam quantitatem absolutam confusionis cognouisse, dummodo rationem quam sequitur accurate definiuerimus. Cum enim nostrum calculum cum experientia contulerimus, terminum cognoscemus, quem si confusio nostro more expressa superauerit, intolerabilis euadat; hincque perpetuo sufficiet confusionem simili modo expressam infra hunc terminum reduxisse. Interim tamen notasse iuvabit, per oculi conformationem confusionem adhuc multo minorem effici posse.

Problema 2.

170. Positis iisdem, quae in praecedente problemate sunt assumta, eam definire oculi conformationem, qua minima confusio percipiatur. Tab. II. Fig. II.

Solutio.

Oculus omnis facultate praeditus est sese aliquantillum aliter conformandi, vt etiam obiecta, quorum distantia a iusta non nimis differt, distincte videat:

videat: quod quomodocunque perficiatur, id ita fieri concipere licet, ac si retina ad pupillam seu potius eam lentem, quam oculi loco consideramus, propius admoueretur seu longius ab ea detorqueretur. Cum ergo ante retinam in V sitam simus contemplati, hic primo sumamus retinam per ipsum punctum v transire, ac manifestum est super ea punctum l distincte expressum iri. Verum quia punctum L alios radios nisi axi proximos non emittit etiam punctum L sine vlla confusione in v repraesentabitur; ita vt tantum puncta media inter L et l confusionem sint paritura. Consideretur ergo quoduis punctum intermedium λ, quod esset extremum in spatio confusionis, si semidiameter aperturae primae lentis minor foret quam x, qui ergo ponatur $= z$; eritque $L\lambda = Vzz$, et inclinatio radiorum in λ concurrentium ad axem $= \mathfrak{B} z$: hinc istius puncti imago intra oculum refertur in ɤ, vt sit $V\text{ɤ} = \frac{uu}{ll} Vzz$, ideoque ob $Vv = \frac{uu}{ll} Vxx$ erit interuallum $v\text{ɤ} = \frac{uu}{ll} V(xx - zz)$: et radiorum in ɤ conuergentium inclinatio ad axem $= \frac{l}{u} \mathfrak{B} z$; ex quo circelli super retina in v existentis radiis puncti λ expressi semidiameter erit $= \frac{u}{l} \mathfrak{B} V z(xx - zz)$ qui euanescit, vti iam monuimus, siue sit $z = 0$, siue $z = x$. Quaeratur iam ille valor ipsius z, quo ille circellus fiat maximus; id quod eueniet, si $xx - 3zz = 0$ seu $z = \frac{x}{\sqrt{3}}$; sicque circelli confusionem hoc casu metientis semidiameter erit $= \frac{2u}{3l\sqrt{3}} \cdot \mathfrak{B} V x^3$, quod est multo minus quam casu praecedente, quo retina erat in V.

At

At ſi retina aliquantillum a v verſus V remoueatur, hic circellus adhuc minor effici poterit. Ponatur enim ſpatium $VS = s$, vt ſit $vS = \frac{uu}{ll} Vxx - s$, et $S\upsilon = s - \frac{uu}{ll} Vzz$. Punctum ergo l, cuius effigies in u exhibetur, ſuper retina S circello referetur, cuius radius eſt $= \frac{l}{u} \mathfrak{B} x (\frac{uu}{ll} Vxx - s)$, punctum vero λ, cuius effigies eſt in υ, ſuper retina S circello, cuius radius erit $= \frac{l}{u} \mathfrak{B} z (s - \frac{uu}{ll} Vzz)$; nunc igitur id punctum λ inueſtigemus, vnde iſte circellus minimus euadat: quod fit ſi ſit $s = \frac{3uu}{ll} Vzz$; eritque huius circuli radius $= \frac{2u}{l} \mathfrak{B} Vz^3$, qui ſimul confuſionem exhiberet, ſi modo a puncto l, non maior circulus oriretur: ſed ſubſtituto pro s valore inuento huius circuli radius erit, $\frac{u}{l} \mathfrak{B} Vx (xx - 3zz)$, qui ergo illi $\frac{2u}{l} \mathfrak{B} Vz^3$ aequalis ſtatuatur, vnde naſcitur haec aequatio:

$$x^3 - 3xzz = 2z^3, \text{ hincque } z = \tfrac{1}{2} x.$$

Quare circelli, quo minima confuſio menſuratur, radius erit $= \frac{u}{4l} \mathfrak{B} Vx^3$, quadruplo minor, quam ſi retina eſſet in V; indeque ipſa confuſio ſedecies minor. Etſi autem illa aequatio cubica tres habet radices, praeter $z = \frac{1}{2} x$ binae reliquae ſunt aequales et $z = -x$, ſicque $zz = xx$, vnde non minima ſed quaſi maxima confuſio naſceretur.

Coroll. I.

171. Cum igitur, vt oculus minimam confuſionem ſentiat, debeat eſſe $z = \frac{1}{2} x$, ideoque $s = \frac{3uu}{4ll} Vxx$,

patet retinam in eum locum S cogi debere, vt sit $VS = \frac{3}{4} Vv$ et $vS = \frac{1}{4} Vv$.

Coroll. 2.

172. Cum ergo oculus non solum praeditus sit facultate sese parumper immutandi sed etiam hac facultate vti soleat ad confusionem euitandam, nullum est dubium quin circellorum confusionem producentium radius sit $= \frac{u}{4l} \mathfrak{B} V x^3$, ideoque quadruplo minor, quam problemate praecedente inueneramus dummodo imago spectanda Ll propemodum in distantia iusta reperiatur.

Coroll. 3.

173. Haec igitur expressio $\frac{u}{4l} \mathfrak{B} V x^3$ iustam nobis exhibet mensuram confusionis, cum exprimat radium circellorum, quibus singula obiecti puncta, quatenus id per lentes spectatur, super retina repraesentantur. Si modo imago in distantia iusta ab oculo reperiatur.

Scholion.

174. Si hi circelli euanescerent, visio plane esset distincta hoc autem fieri nequit, nisi ipsum interuallum diffusionis Vxx euanescat: vnde patet si apertura primae lentis ad nihilum reduceretur, nullam confusionem sentiri debere. Verum visio non ita est delicata, vt prorsus nullam confusionem pati possit sed dummodo confusio certum quendam terminum

num non ſuperet, quaſi eſſet nulla conſiderari poteſt. Iſte terminus, ſeu valor quem expreſſio $\frac{u}{4l}\mathfrak{B}Vx^3$ excedere non debet, ex exp.rientia potius peti debet, quam ex Theoria isque idcirco inſigni adhuc latitudine continetur: vnde fit vt pro diuerſo ſcopo modo maiore gradu confuſionis contenti eſſe ſoleamus, modo autem minorem gradum exigamus: quas circumſtantias cum ad praxin propius accedemus, accuratius ſumus examinaturi. Ceterum notandum eſt pro interuallo u, quo quaſi profunditas oculi exhibetur, vnum circiter pollicem aſſumi poſſe, quae quidem menſura fere erit arbitraria, cum deinceps limites confuſionis per experientiam conſtituemus.

Problema. 3.

175. Si oculus per vnicam lentem obiectum aſpiciat ita vt imago viſa ab oculo in diſtantia iuſta reperiatur, definire confuſionem, qua viſio afficietur. Tab. I. Fig. 3.

Solutio.

Sit diſtantia obiecti $E\varepsilon$ ante lentem $AE = a$, imaginis vero principalis $F\zeta$ poſt lentem $BF = \alpha$, lentisque craſſities $AB = v$, quantitas vero arbitraria qua cum binis diſtantiis determinatricibus a et α lentis facies determinatur, ſit $= k$, ponatur autem breuitatis gratia $\frac{k-v}{k+v} = i$. Tum autem poſita ratione refractionis $= n$, debet eſſe lentis PP

radius faciei anterioris $= \frac{(n-1)a(k+v)}{k+v+2na}$

radius faciei poſterioris $= \frac{(n-1)\alpha(k-v)}{k-v-2n\alpha}$

ac ſi ſemidiameter aperturae faciei anterioris ſit $= x$, poſterioris vero $> ix$ ſpatium diffuſionis Ff erit $= P\alpha\alpha xx$ exiſtente

$$P = \frac{n}{2(n-1)^2}\left(\frac{1}{ii}\left(\frac{n}{a}+\frac{2}{k+v}\right)\left(\frac{1}{a}+\frac{2}{k+v}\right)^2 + ii\left(\frac{n}{\alpha}-\frac{2}{k-v}\right)\left(\frac{1}{\alpha}-\frac{2}{k-v}\right)^2\right)$$

radiorum vero in f concurrentium inclinatio ad axem $= i.\ \frac{x}{\alpha}$. His, quae §. 86 ſunt ſtabilita, praemiſſis, ſit diſtantia oculi poſt lentem $BO = O$, et quia imago $F\zeta$ ante oculum in diſtantia iuſta exiſtere aſſumitur, erit $O = \alpha + l$, ideoque $\alpha = O - l$, ſi locus oculi vt datus conſideretur. Hinc ergo habebimus $V = P\alpha\alpha$ et $\mathfrak{B} = \frac{i}{\alpha}$ ideoque $\mathfrak{B}V = i\alpha P$. Conſequenter radius circellorum in oculo confuſionem metientium, ſeu vt in poſterum loquemur menſura confuſionis erit

$$= \frac{n}{4l}.\ i\alpha x^3.\ P = \frac{iu}{4l}(O-l)x^3 P.$$

Si lentis craſſities v euaneſcat, et pro determinatione lentis numerus arbitrarius λ loco k introducatur, erit ex §. 91 $P = \mu\left(\frac{1}{a}+\frac{1}{\alpha}\right)\left(\lambda\left(\frac{1}{a}+\frac{1}{\alpha}\right)^2 + \frac{\nu}{a\alpha}\right)$, et $i = 1$ ex quo loco citato etiam ipſa lentis conſtructio eſt petenda.

Coroll. I.

176. Si igitur lens fuerit data, locus oculi poſt lentem ita definitur, vt debeat eſſe diſtantia $BO = O = \alpha + l$, exiſtente l diſtantia oculi iuſta: Sin autem locus oculi detur, pro lentis conſtructione diſtantia determinatrix α ita capi debet, vt ſit $\alpha = O - l$.

Coroll.

Coroll. 2.

177. Quare si oculus ita fuerit comparatus, vt exigat distantiam iustam $l = \infty$, fiet $\alpha = -\infty$, et mensura confusionis erit $= -\frac{1}{4} i u x^3 . P$ seu $= \frac{1}{4} i u x^3 . P$, quia signum $-$ nihil mutat in magnitudine circellorum confusionem producentium.

Coroll. 3.

178. Etsi ergo hoc casu quo $\alpha = \infty$ spatium diffusionis Ff est infinitum, tamen inde confusio in visione orta est finita, quia hoc non obstante valor ipsius P manet finitus: erit enim

$$P = \frac{n}{2(n-1)^2}\left(\frac{1}{ii}\left(\frac{n}{a}+\frac{2}{k+v}\right)\left(\frac{1}{a}+\frac{2}{k+v}\right)^2 - \frac{8ii}{(k-v)^3}\right)$$

Radius autem faciei posterioris fit $= -\frac{(n-1)}{2n}(k-v)$.

Coroll. 4.

179. Quia est $i = \frac{k-v}{k+v}$; valor ipsius P etiam in genere ita exprimi potest, vt sit:

$$P = \frac{n}{2(n-1)^2}\left(\left(\frac{n}{a}+\frac{2}{k+v}\right)\left(\frac{1}{ia}+\frac{2}{k-v}\right)^2 + \left(\frac{n}{\alpha}-\frac{2}{k-v}\right)\left(\frac{i}{\alpha}-\frac{2}{k+v}\right)^2\right)$$

vbi est $\frac{n}{2(n-1)^2} = \frac{310}{121} = 2,561983$ ob $n = \frac{31}{20}$. Sicque etiam valores reliquarum litterarum Q, R, S etc. in §. 86 transformari poterunt.

Problema 4.

180. Si oculus per duas lentes obiectum $E\varepsilon$ aspiciat, ita vt imago per eas repraesentata $G\eta$ in distantia iusta $OG = l$ ob oculo sit remota, definire confusionem, qua visio afficietur. Tab. I. Fig. 5.

 Solutio

Solutio.

Sint vt hactenus pro lente PP distantiae determinatrices $AE = a$, $aF = \alpha$, crassities $Aa = v$, et distantia arbitraria $= k$, ita vt sit

radius faciei anterioris $= \frac{(n-1)a(k+v)}{k+v+2na}$

radius faciei posterioris $= \frac{(n-1)\alpha(k-v)}{k-v-2n\alpha}$

tum vero posito $\frac{k-v}{k+v} = i$ ponatur

$$P = \frac{n}{2(n-1)^2}\left(\left(\frac{n}{a}+\frac{2}{k+v}\right)\left(\frac{1}{ia}+\frac{2}{k-v}\right)^2+\left(\frac{n}{\alpha}-\frac{2}{k-v}\right)\left(\frac{i}{\alpha}-\frac{2}{k+v}\right)^2\right)$$

Deinde pro lente posteriori QQ sint distantiae determinatrices $BF = b$, $bG = \mathfrak{b}$, crassities lentis $Bb = v'$ et distantia arbitraria $= k'$ vt sit

radius faciei anterioris $= \frac{(n-1)b(k'+v')}{k'+v'+2nb}$

radius faciei posterioris $= \frac{(n-1)\mathfrak{b}(k'-v')}{k'-v'-2n\mathfrak{b}}$

tum vero posito $\frac{k'-v'}{k'+v'} = i'$ ponatur

$$Q = \frac{n}{2(n-1)^2}\left(\left(\frac{n}{b}+\frac{2}{k'+v'}\right)\left(\frac{1}{i'b}+\frac{2}{k'-v'}\right)^2+\left(\frac{n}{\mathfrak{b}}-\frac{2}{k'-v'}\right)\left(\frac{i'}{\mathfrak{b}}-\frac{2}{k'+v'}\right)^2\right)$$

Atque iam erit spatium diffusionis

$$Gg = \mathfrak{b}\mathfrak{b}xx\left(\frac{1}{i'i'}\cdot\frac{\alpha\alpha}{bb}P + ii\cdot\frac{bb}{\alpha\alpha}Q\right) = Vxx$$

et radiorum in g concurrentium inclinatio ad axem

$$ii'.\frac{bx}{\alpha\mathfrak{b}} = \mathfrak{B}x.$$

Sit iam oculus in O existente $OG = l$, ac ponatur eius post lentem QQ distantia $bO = O$ erit $O = \mathfrak{b} + l$, ideoque

ideoque $\mathfrak{E} = O - l$; quibus positis cum sit mensura confusionis $= \frac{u}{4l}\mathfrak{B}x.\ Vxx$ erit ea pro nostro casu:

$$\frac{ii'u}{4\ l} \cdot \frac{b\mathfrak{E}}{\alpha} x^3 \left(\frac{1}{i'i'} \cdot \frac{\alpha\alpha}{bb} P + ii \cdot \frac{bb}{\alpha\alpha} Q \right)$$

vel pro $\mathfrak{E}$ posito valore $O - l$ et signo mutato

$$\tfrac{1}{4} ii'u \left(1 - \frac{O}{l} \right) \cdot \frac{b}{\alpha} x^3 \left(\frac{1}{i'i'} \cdot \frac{\alpha\alpha}{bb} P + ii \cdot \frac{bb}{\alpha\alpha} Q \right).$$

Coroll. 1.

181. Si ergo pro oculo fuerit $l = \infty$, ideoque et $\mathfrak{E} = \infty$, etsi spatium diffusionis Gg sit infinitum tamen ob $\frac{O}{l} = 0$ confusio visionem afficiens nihilominus erit finita: neque enim P neque Q ob $\mathfrak{E} = \infty$ fit infinita.

Coroll. 2.

182. Si crassities lentium euanescat, vt sit $v = 0$ et $v' = 0$ erit $i = 1$ et $i' = 1$. ideoque hoc casu mensura confusionis

$$\tfrac{1}{4} u \left(1 - \frac{O}{l} \right) \cdot \frac{b}{\alpha} x^3 \left(\frac{\alpha\alpha}{bb} P + \frac{bb}{\alpha\alpha} Q \right)$$

At si loco k et k' introducantur numeri λ et λ' erit

$$P = \mu \left(\frac{1}{a} + \frac{1}{\alpha} \right) \left(\lambda \left(\frac{1}{a} + \frac{1}{\alpha} \right)^2 + \frac{\nu}{a\alpha} \right) \text{ et}$$

$$Q = \mu \left(\frac{1}{b} + \frac{1}{\mathfrak{E}} \right) \left(\lambda' \left(\frac{1}{b} + \frac{1}{\mathfrak{E}} \right)^2 + \frac{\nu}{b\mathfrak{E}} \right)$$

existente

$$\mu = 0,938191 \text{ et } \nu = 0,232692$$

Coroll.

Coroll. 3.

183. Eodem autem hoc casu constructio binarum lentium ita se habebit:

radius faciei

Pro lente PP $\begin{cases} \text{anterioris} = \dfrac{a\alpha}{\varrho\alpha + \sigma a \pm \tau(a+\alpha)\sqrt{(\lambda-1)}} \\ \text{posterioris} = \dfrac{a\alpha}{\varrho a + \sigma\alpha \mp \tau(a+\alpha)\sqrt{(\lambda-1)}} \end{cases}$

Pro lente QQ $\begin{cases} \text{anterioris} = \dfrac{b\beta}{\varrho\beta + \sigma b \pm \tau(b+\beta)\sqrt{(\lambda'-1)}} \\ \text{posterioris} = \dfrac{b\beta}{\varrho b + \sigma\beta \mp \tau(b+\beta)\sqrt{(\lambda'-1)}} \end{cases}$

existente $\varrho = 0,190781$; $\sigma = 1,627401$ et $\tau = 0,905133$.

Problema 5.

Tab. II. Fig. 6. 184. Si oculus per tres lentes PP, QQ et RR obiectum $E\varepsilon$ aspiciat, ita vt imago per eas repraesentata $H\theta$ in distantia iusta $OH = l$ ab oculo O sit remota, definire confusionem, qua visio afficietur.

Solutio.

Positis duabus prioribus lentibus PP et QQ vt in problemate praecedente, indeque determinatis valoribus P et Q cadat imago per has duas lentes repraesentata principalis in $G\eta$, post quam tertia lens RR ita collocata sit, vt sint eius distantiae determinatrices $CG = c$, $cH = \gamma$, crassities $Cc = v''$ et quantitas arbitraria $= k''$ vt sit:

radius faciei anterioris $= \dfrac{(n-1)c(k''+v'')}{k''+v''+2nc}$

radius faciei posterioris $= \dfrac{(n-1)\gamma(k''-v'')}{k''-v''-2n\gamma}$

Tum

Tum vero posito $\frac{k''-v''}{k''+v''}=i''$ ponatur

$$R=\frac{n}{2(n-1)}\left(\left(\frac{n}{c}+\frac{2}{k''+v''}\right)\left(\frac{1}{i''c}+\frac{2}{k''-v''}\right)^2+\left(\frac{n}{\gamma}-\frac{2}{k''-v''}\right)\left(\frac{i''}{\gamma}-\frac{2}{k''+v''}\right)^2\right)$$

atque iam ſpatium diffuſionis erit

$$Hb=\gamma\gamma xx\left(\frac{1}{i'i'.i''i''}\ \frac{\alpha\alpha\beta\beta}{bbcc}P+\frac{ii}{i''i''}.\frac{bb\beta\beta}{\alpha\alpha cc}Q+ii.i'i'\ \frac{bbcc}{\alpha\alpha\beta\beta}R\right)$$

quod eſt valor ipſius Vxx. Radiorum vero in b concurrentium inclinatio ad axem eſt

$$ii'i''.\frac{bcx}{\alpha\beta\gamma}=\mathfrak{V}x$$

ſit iam oculus in O, ac ponatur eius diſtantia poſt lentem RR $=O$ erit $O=\gamma+l$, ideoque $\gamma=O-l$. Hinc menſura confuſionis in oculo ortae colligitur

$$\tfrac{1}{4}ii'i''u\left(1-\frac{O}{l}\right)\frac{bc}{\alpha\beta}x^3\left(\frac{1}{i'i'.i''i''}.\frac{\alpha\alpha\beta\beta}{bbcc}P+\frac{ii}{i''i''}.\frac{bb\beta\beta}{\alpha\alpha cc}Q+ii.i'i'.\frac{bbcc}{\alpha\alpha\beta\beta}R\right)$$

Coroll. 1.

185. Hic iterum vt ante patet, ſi fuerit $l=\infty$ ideoque et $\gamma=\infty$, quo caſu diffuſionis ſpatium in infinitum extenditur, menſuram confuſionis terminis finitis contineri, quod etiam locum habet pro quouis lentium numero.

Coroll. 2.

186. Si lentium craſſities pro euaneſcente habeatur, ob $i=1$ $i'=1$, $i''=1$, menſura confuſionis ita ſimplicius exprimetur, vt ſit

$$=\tfrac{1}{4}u\left(1-\frac{O}{l}\right)\frac{bc}{\alpha\beta}x^3\left(\frac{\alpha\alpha\beta\beta}{bbcc}P+\frac{bb\beta\beta}{\alpha\alpha cc}Q+\frac{bbcc}{\alpha\alpha\beta\beta}R\right)$$

At hoc casu loco k, k', k'' introductis numeris $\lambda, \lambda', \lambda''$ erit

$$P = \mu\left(\frac{1}{a}+\frac{1}{\alpha}\right)\left(\lambda\left(\frac{1}{a}+\frac{1}{\alpha}\right)^2+\frac{\nu}{a\alpha}\right)$$

$$Q = \mu\left(\frac{1}{b}+\frac{1}{\beta}\right)\left(\lambda'\left(\frac{1}{b}+\frac{1}{\beta}\right)^2+\frac{\nu}{b\beta}\right)$$

$$R = \mu\left(\frac{1}{c}+\frac{1}{\gamma}\right)\left(\lambda''\left(\frac{1}{c}+\frac{1}{\gamma}\right)^2+\frac{\nu}{c\gamma}\right)$$

Coroll. 3.

187. Eodem vero casu constructio lentium per istos numeros $\lambda, \lambda', \lambda''$ ita erit dirigenda vt sit

Radius faciei

Pro lente PP $\begin{cases} \text{anterioris} = \dfrac{a\alpha}{\rho\alpha+\sigma a \pm \tau(a+\alpha)\sqrt{(\lambda-1)}} \\ \text{posterioris} = \dfrac{a\alpha}{\rho a+\sigma\alpha \mp \tau(a+\alpha)\sqrt{(\lambda-1)}} \end{cases}$

Pro lente QQ $\begin{cases} \text{anterioris} = \dfrac{b\beta}{\rho\beta+\sigma b \pm \tau(b+\beta)\sqrt{(\lambda'-1)}} \\ \text{posterioris} = \dfrac{b\beta}{\rho b+\sigma\beta \mp \tau(b+\beta)\sqrt{(\lambda'-1)}} \end{cases}$

Pro lente RR $\begin{cases} \text{anterioris} = \dfrac{c\gamma}{\rho\gamma+\sigma c \pm \tau(c+\gamma)\sqrt{(\lambda''-1)}} \\ \text{posterioris} = \dfrac{c\gamma}{\rho c+\sigma\gamma \mp \tau(c+\gamma)\sqrt{(\lambda''-1)}} \end{cases}$

Scholion.

188. Hinc satis manifestum est, quemadmodum hae formulae pro pluribus lentibus progrediantur: verum antequam eas exponam, conueniet alias quoque circumstantias, quae hinc facillime deducuntur, perpendi, scilicet magnitudinem obiecti visam, et copiam radiorum a singulis eius punctis in oculum transmissorum vt hae simul cum confusione visionis dein-

deinceps coniunctim pro quouis lentium numero exhiberi queant; quo pacto plures taediosas repetitiones euitabimus. Duae autem res ex hactenus allatis facile definiri possunt, quarum altera est quantitas, qua imago obiecti per lentes repraesentata ab oculo cernitur, quae quantitas aestimanda est ex angulo, sub quo imago videtur, vt is deinceps comparari possit, cum eo angulo sub quo ipsum obiectum in data distantia a nudo oculo spectaretur, vnde qua ratione magnitudo per lentes visa augeatur, intelligetur. Altera res in copia radiorum, a singulis obiecti punctis in oculum transmissorum versatur, qua claritas visione percepta continetur, a quolibet scilicet puncto conus seu cylindrus radiosus in oculum ingreditur, qui si pupillam penitus expleat, claritas ad summum gradum erit euecta, nisi forte maiori illustratione ipsi obiecto maius lumen concilietur. At si sectio illius coni aut cylindri, qua in oculum intrat, minor fuerit pupilla, in eadem ratione claritas decrescet; quod cum in omnibus instrumentis dioptricis, quibus magnitudinem visam vehementer augere propositum est, vsu venire soleat, plurimum intererit amplitudinem illius coni seu cylindri, qua in oculum penetrat, accurate determinasse.

Problema 6.

189 Definire quantitatem, sub qua quaeuis obiecti portio per lentes quotcunque ab oculo in distantia iusta ab imagine vltima remoto cernetur.

 Solutio.

Solutio.

Sit z linea in obiecto concepta, quae quanta per lentes oculo ſit apparitura, definiri oporteat. Oſtenſum autem eſt in praecedentibus, quotcunque fuerint lentes, imaginem principalem huius lineae iterum eſſe lineam, cuius longitudo ad z certam teneat rationem a diſtantiis determinatricibus lentium et numeris i, i', i'', i''' etc. pendentem (86). Sit ergo haec longitudo imaginis $= Mz$, quae cum ab oculo in diſtantia l remoto aſpiciatur, apparebit ſub angulo $= \frac{Mz}{l}$; vel cuius tangens potius ſit $= \frac{Mz}{l}$; ſed quia hic angulus rariſſime vltra aliquot gradus aſſurgere ſolet, tangens tuto pro ipſo arcu aſſumitur. Effigies autem quae ab hac linea Mz in oculo exprimitur, erit $= \frac{Muz}{l}$; hic enim cogitationes a confuſione abſtraho, qua vtique fit, vt effigies maior imprimatur, propterea quod ſingula puncta circellis exhibentur. Iam poſitis iisdem lentium determinationibus, quibus ſupra §. 86 ſum vſus, pro vario lentium numero angulus, ſub quo linea z in obiecto ſumta cernetur ita ſe habebit:

	Angulus viſionis	ſitu
Pro vnica lente	$\frac{1}{i} \cdot \frac{\alpha}{a} \cdot \frac{z}{l}$	inuerſo
Pro duabus lentibus	$\frac{1}{ii'} \cdot \frac{\alpha\beta}{ab} \cdot \frac{z}{l}$	erecto
Pro tribus lentibus	$\frac{1}{ii'i''} \cdot \frac{\alpha\beta\gamma}{abc} \cdot \frac{z}{l}$	inuerſo
Pro quatuor lentibus	$\frac{1}{ii'i''i'''} \cdot \frac{\alpha\beta\gamma\delta}{abcd} \cdot \frac{z}{l}$	erecto
	etc.	

Scilicet

Scilicet ſi hae formulae ſint poſitiuae, oculus lineam z ſitu ſiue erecto ſiue inuerſo videbit, prout eſt notatum ſin autem fuerint negatiuae, ſitum indicatum in contrarium verti oportet.

Coroll. 1.

190. Si eadem obiecti linea z in diſtantia $= b$ ab oculo nudo cerneretur, ea apparitura eſſet ſub angulo $= \frac{z}{b}$, vnde perſpicitur, quanto ea vel maior vel minor per lentes videatur.

Coroll. 2.

191. Si diſtantia oculi a poſtrema lente ponatur $= O$, erit caſu vnius lentis $\alpha = O - l$, ideoque $\frac{\alpha}{l} = -(1 - \frac{O}{l})$ vnde angulus opticus lineae obiecti z reſpondens erit $= \frac{1}{l}(1 - \frac{O}{l})\frac{z}{a}$ pro ſitu erecto, quia ſignum mutauimus.

Coroll. 3.

192. Simili modo caſu duarum lentium ob $\beta = O - l$ erit iſte angulus $= \frac{1}{ll'}(1 - \frac{O}{l})\frac{\alpha z}{ab}$ pro ſitu inuerſo.

Caſu vero trium lentium ob $\gamma = O - l$ erit

iſte angulus $= \frac{1}{ll'l''}(1 - \frac{O}{l})\frac{\alpha\beta z}{abc}$ pro ſitu erecto

Caſu quatuor lentium ob $\delta = O - l$ erit

iſte angulus $\frac{1}{ll'l''l'''}(1 - \frac{O}{l})\frac{\alpha\beta\gamma z}{abcd}$ pro ſitu inuerſo, et ita porro pro pluribus lentibus.

Scholion.

193. Hinc etiam modus se offert confusionem ob lentium aperturam in oculo natam distinctius aestimandi. Scilicet cum singula obiecti puncta in oculo exprimantur circulis, quorum radius est $= \frac{u}{4l} \mathfrak{B} V x^3$, verus autem circulus cuius radius $= z$, oculo in distantia l expositus in oculo referatur circulo cuius radius $= \frac{u}{l} z$ singula puncta illius obiecti per lentes spectati, aeque magna apparebunt, ac orbes circulares radii $z = \frac{1}{4} \mathfrak{B} V x^3$, si in distantia ab oculo $= l$ spectarentur. Vel cum horum orbium semidiameter apparens sit $= \frac{z}{l}$, ob confusionem singula obiecti puncta instar circulorum videbuntur, quorum semidiameter apparens esset $= \frac{1}{4l} \mathfrak{B} V x^3$. In expressionibus igitur ante pro confusione inuentis deleatur quantitas u, et habebitur semidiameter apparens circulorum confusionem exprimentium. Hinc iudicari poterit quam parua esse debeat confusio, vt non amplius sentiatur, scilicet si oculus non amplius percipere valeat spatium circulare, cuius semidiameter esset $1''$, seu $\frac{1}{603}$ pars radii circiter, euidens est, si fuerit nostra expressio $\frac{1}{4l} \mathfrak{B} V x^3 = \frac{1}{603}$, confusionem fore imperceptibilem. Ac experientiam consulentes deprehendimus multo maiores angulos non amplius percipi posse, ita vt confusio non sit metuenda etiamsi expressio $\frac{1}{4l} \mathfrak{B} V x^3$ notabiliter maior fuerit, quam $\frac{1}{603}$; ne autem hic temere quicquam statuamus, ponamus limitem, quem formula $\frac{1}{4l} \mathfrak{B} V x^3$ excedere non

non debeat, esse $= \frac{1}{4\varkappa^3}$, ita vt esse oporteat $\frac{1}{l}\mathfrak{B} V x^3 < \frac{1}{\varkappa^3}$. Postea igitur ad praxin descendentes poterimus pro $\varkappa$ numerum vel 40 vel minorem assumere prout experientia quouis casu postulauerit. Quod si ergo hoc modo confusionis rationem habeamus, profunditas oculi u non amplius in computum ingredietur.

Definitio 3.

194. Semidiameter confusionis, est semidiameter apparens circuli, qui ab oculo aeque magnus videtur, ac singula obiecti puncta ipsi ob confusionem apparent.

Corollarium.

195. Inueniemus igitur facile semidiametrum confusionis si formulas supra pro confusione repertas per profunditatem oculi u diuidamus quo pacto eae formulae ad numeros absolutos reducentur.

Definitio 4.

